

N. 25.

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM PHYSICAM

DE

TRANSMUTATIONIBUS
CORPORUM

EXTRAORDINARIIS,

PERMISSU

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

PRÆSES,

M. JOH. CHRISTIANUS Lehmann /

BUDISSA-LUSATUS MEDIC. BACCALAUREUS,

ET

RESPONDENS,

ANDREAS Bretag / Croſná Sileſius,

ad futurum 23. Junii,

Anno M. DC. XCVII.

placidæ ERUDITORUM EXCUSSINI

H. L. Q. C.

exponent.

L I P S I Æ,

Stannò CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

Hist. nat.

B.

406,34

*Illustribus, Excelso, atq; Excellentissimis
Dominis,*

D O M I N O

**LUDOVICO GEBHARDO
LIBERO BARONI ab HOYMB,
S. R. I. Nobili Bannerio,**

Serenissimi atque Potentissimi Regis Poloniae & Saxo-
niae Electoris Consiliario Status intimo, Camerae Electoralis Prae-
sidi, rerumque montanarum Directori meritissimo, Dynastia-
rum *Drosig / Guseborn / Kuland / Spremberg / Scölen /
Burg- & Kirch-scheidungen* etc. Domino, Principatus item
Halberstadiensis Camerario haereditario undiquaque
Splendidissimo,

D O M I N O

**ADOLPHO MAGNO
LIBERO BARONI ab HOYMB,
S. R. I. Nobili Bannerio,**


Serenissimi ac Potentissimi Regis Poloniae atque Saxoniae
Electoris Consiliario Camerae rerumque montanarum
Gravissimo,

*Mæcenati, Patronis atque Promotoribus
Maximis,*

has pagellas se suaque studia commendaturus
humillime offert

AUTOR-PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTIANUS Lehmann.



I. N. 7.

§. I.

Disquisituris nobis de Corporum Transmutatione, consultum neutiquam videtur, operam collocare in terminorum, qui manifestissimi sunt, sollicita enucleatione: Hoc tamen præmonendum censuimus, nos ad transmutationes alterativas, ut si aqua frigida incalescat, aut ad Poëtarum metamorphoses haudquaquam respexisse; potius eas hoc loco oculis nostris obversari, quibus aliquod corpus extraordinaria, ratione & re ipsa mutetur, ut pristinam faciem, naturam, quin sæpe speciem, amisisse existimari forte possit.

§. II.

Ut res distinctius constare queat, talem construimus definitionem: *Transmutatio Corporum*, de qua hoc loco acturi sumus, *est mutatio, qua eorum partes insensibiles atque sensibiles secus quam ordinarie fieri solet, tam varie miscentur aptanturque, ut ipsa vel ad aliud regnum descivisse, vel in aliam speciem*

*ciem degenerasse jam plenius, jam
utcunque, deprehendatur.*

§. III.

Subsistendum tantisper erit, dum transmutationes in suos census distribuerimus, ipsa etiam huic negotio occasionem præbente definitione. Itaque mutationes procedunt vel ex uno regno in quodcunque aliud, quorum tria, animale, vegetabile, ac minerale, numerari notum est: vel ab una regni ejusdem specie in aliam; puta cum homines in lupos, frumenta in lolium, Saturnum in Solem immutari tradunt.

§. IV.

Insuper alia transmutatio est Essentialis, alia verò accidentalis, vel uti convenientius perhibebitur, modalis. Essentialis Transmutatio cum Peripateticis *Beche-ro in suppl. II. Phys. subter. proæm.* illa audit; ubi forma interna corporis transmutatur: Accidentalibus, ubi forma interna manet, & tantum accidentia mutantur. Nos vocamus essentialem, quando minima substantiæ materialis corpuscula, quibusve essentia corporis radicaliter debetur, immutantur; sed qualis in punctis illis Physicis, cum sint intrinsecus immutabilia, locum non inveniunt. Modalem (ita quippe, ut dictum, malumus loqui) appellamus, quoties moleculæ ex quibus corpus constat (manente potiori cum numero tum ordine corpusculorum minimorum) ratione situs, motus, quietis, item ratione coalescentiæ cum adventitiis, quales ab initio non inerant; quin per jacturam quoque nonnullarum molecularum prius præsentium, aliter aliterque modificantur.

§. V.

§. V.

Neque præteriri illud debet: quod transmutationem corporum vel naturæ auctor DEUS manu omnipotente peragat; vel natura ipsam conciliet, nunc ordinaria via, uti in omnibus generationibus & corruptionibus; nunc prorsus extraordinariâ, ut si in marem foemina, in sangvinem aqua mutantur; quemadmodum, teste *Peucero de divinationum generibus fol. 451.* sua ætate non procul Martisburgo magna palus certis vicibus in cruorem versa adeo rubuit, ut immersa quævis tingeret: vel demum artificis cujuscunque industria aliquam perficiat, quod in operationibus Chymicis frequens est. Item nec illud prætermittendum, quod nonnullæ transmutationes in instanti eveniant, quales communiter priores illæ, &, ut stylo Scholasticorum utar, obedientiales; cum aliæ contra tractu temporis & multis intervenientibus mutationibus, vel ordinario cursu, quorsum secunda classis pertinet, vel extraordinario, quorsum tertia, absolvantur. Medius ordo transmutationum, utpote ordinariorum, non ita multum ad nos, qui extraordinarias, potissimum postremi generis, sive in quibus naturæ artisque effectus extraordinarii ac singulares attenduntur, spectabimus.

§. VI.

Vix autem convenientius series rerum fluxerit, quam si exemplorum à variis autoribus suppeditatorum adparatum adornantes hinc inde ostenderimus, ad quam transmutationum hæctenus adductarum classem illa sint referenda.

§. VII.

Jure verò à Sacra Scriptura auspicamur, quam dum evolvimus, transmutationem unius speciei in alteram.

ex diverso etiam regno procedentem, clare, quin evidentissime legimus. Exempla eo ordine, quo traduntur, proponere licebit.

§. IIX.

Genes. XIX. v. 26. legitur; conjugem Lothi in mineram seu columnam salis fuisse conversam, adeoque transmutationem ex regno animali in minerale intuemur; modum istius in præsentiarum explicare velle vires nostras atque haud dubie omnium mortalium superat. DEI potius potentiam admiramur, curiososque speculatores ad *Tb. Bartholinum de Morb. bibl. cap. III. pag. 5.* remittimus. Certè quæ manus omnipotentes vel ex lapidibus Abrahamo prolem excitare valent, *Matth. III. v. 9.* cur ipsæ non possent in statuam indurati salis hominem convertere?

§. IX.

Vegetabile in animale Divinis auspiciis fuisse transmutatum in Mosis baculo apparet, *Exod. IV. v. 3. seqq.* Simile quidem phænomenon suis exorcismis coram Pharaone Magi quoque præstiterunt, permittente nimirum summo Numine: Mosis tamen serpens omnes reliquos in eorum omnium conspectu devoravit: Videlicet DEUS digitum suum manifestaturus non hoc solum efficiebat, sed jusit insuper elementare, nempe terram mutare in pediculos, in quibus excitandis omnes Ægyptiorum præstigiæ frustra fuerunt.

§. X.

Perinde aliud elementare, Aquam, CHRISTUS in nuptiis Canæ Galilææ *Job. II.* transmutavit in succum alicujus vegetabilis, vinum. Qua transmutatione, dicente Evangelista, edidit initium signorum JESUS in Cana oppido Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crederunt in eum discipuli.

§. XI.

§. XI.

Quemadmodum verò in his exemplis potentia DEI absoluta manifestissime adparet; ita ex iisdem ipsis haut obscure colligitur, quod essentialis immediata atque instantanea transmutatio substantiæ in substantiam aliã, quam divina virtute peragi nequaquam possit, ipso Dæmone istud *Matth. IV. v. 13.* agnoscente, cum Servatorem tentans dixit, jube ut lapides hi panes fiant. Et sanè quid aliud hujusmodi transmutatio existimabitur, quam creatio aliqua mediata, quam opus DEI solius esse, fani omnes profitentur.

§. XII.

Annon igitur naturali quadam ratione transmutationes essentielles extraordinariæ, saltim interventu temporis, oboriri soleant, dispiciendum erit? Atque heic affirmativæ Patronum, *Job. Baptist. Portam, Lib. III. Magiæ natural. cap. II. pag. 103.* deprehendimus. Is quemadmodum & alii triticum in scenam producant, perhibentes, ex hoc aliquandiu in granario asservato terræque tradito enasci secale. Equidem, quantum ad hoc, non negamus, in tritico reperiri aliquando plures caules, pluraque secalis granula, id quod ex *ἀποψία* unicuique constiterit: ast ex in nondum erit concludendum; ergò triticum in secale degeneravit.

§. XIII.

Etenim quid si in granario semina ejus tritico permisceri contingat, sive antea secale ibidem conditum fuerit, sive per incuriam hominum curam frumentorum habentium eo devolutum, sive ventorum, murium, aliorumve animalium ope apportatum sit? Quid si à multis retro annis continuatis generationibus semina ager custodiverit, aut eadem jam à ventis, aviculis, talpis, jam aliis quibusdam modis acceperit?

§. XIV.

§. XIV.

Malim itaque Triticum atque Secale pro diversis specie plantis è propriis suis distinctisque seminibus natis habere, utpote quæ ratione substantiæ, figuræ, coloris & conformationis prorsus differunt. Declarat hoc *Cl. Rajus histor. plant. Tom. II. Lib. XXII. Sect. I. cap. 1. § 2.* Est triticum, inquit, frumenti genus, grano majore, oblongo, nudo, h. e. glumis non arcte adhærentibus, sed triturando facile abscedentibus tecto, turgido, lucido, & flavescente, ab uno latere sulcato, farina candidiore & leviore. Secale autem à tritico differt grano strigosiore, tenuiore & nigriore, glumis non operto, sed nudo, culmo elatiore.

§. XV.

Veruntamen muscum porrò nobis opponi non ignoramus, qui variis in vegetabilium corticibus, inprimis vero in adularum arborum rugis & fissuris tegitur; sed nondum palmam acquisivisse jactitent; quotquot huic objectioni favent: Muscum enim semine suo, licet exiguo multisque adhuc ignoto, speciem perpetuare satis non dicam probabile, sed certum existimandum. Videatur quanquam generalius de his agens *Malpighius de plant. quæ in aliis vegetant.* Semen ejusmodi cum mirandæ exilitatis atque levitatis sit, ut ipse annotavi, facile aëris auxilio in corticum poros & asperitates spargitur, humiditatemque sive ex aëre externo irrorantem, sive à corticis poris exsudantem in vegetationem atque augmentum depromit.

§. XVI.

Fungos quoque objiciunt, qui solum natale admodum varium amant, & quæsitanti in sterquiliniis, in lignis putridis ac eorum talibus radicibus occurrunt. Verum
rùm

rùm enim verò sub iudice adhuc lis est, quam decidere
ausu decretorio non sustinemus; an ad vegetabilia ve-
ra, an ad eorum excrescentias fungi referri merean-
tur? Quidquid sit, priori sententiæ si assentire quis-
piam cupit, phænomenon per generationem ex se-
mine congruo, pingviori in solo condito, explicabitur;
excrescentias esse si mavis, concludatur, exerosis sive
peffundatis lignorum frustulis vel radicibus, quibus
aliquid succi vegetantis adhuc superest, ejusmodi pro-
gigni stamina imperfecta, quæ illæsa radice in sui ge-
neris stamen progerminarent: nunc à luxuriante succo,
deficienteque organo legitimo, superveniente ulterius
humiditate exteriori, succum adhuc in utriculis conten-
tum protrudi, sic ut varia pilorum instar concreta, quæ
invicem per propria effluvia coalescunt & conglomeran-
tur, ita compingantur, inque caulem erigantur, ut
premente aëris gravitate, quasi reflexa in capitulum tan-
dem desinant; uti satis curiose philosophatur Malpighius
loc. cit. Eligas ergò quodcunque placet, interim trans-
mutationem essentialem nullam exsculpsferis. Nam aut
semine gaudentes fungi legitime generantur, aut luxu-
riantis succi concretæ protuberantiæ sunt, quæ nunquam
certam vegetabilis speciem constituent.

§. XVII.

In salicibus quidem furculum Sambuci & Sorbi ex-
crevisse, quæ vegetabilia tam notione, quam specie
satis distincta sunt, mihi intueri contigit. Quo fato au-
tem salices nutrices sibi conduxerint, verè determinare
non licet, circumstantiæ interim non prorsus absone sup-
peditari possunt, quibus vegetabilium istorum insitio &
radicatio illustrabitur. Salix vetula ad latus sorbo adstans
baccam aliquam deciduam excepit, quæ postmodum in
B ligno

ligno putrescente radices egit robustas. Hujus & sambuci baccae avicularum tendiculis appenduntur, quid mirum unum vel alterum granulum defluens salici erosæ radices inferere? Fortassis & suam insitionem opilioni ignaro perque otium agentî acceptam ferre debent. Plures mittam circumstantias; nemo enim tam credulus fuerit, ut furculum quemvis transmutatum ex salicis frondibus affirmet variarum insitionum hortulanis quàm familiarissimarum vel mediocriter gnarus. Hi namque ceraso detruncatæ inserunt eandemque alere faciunt prolem variarum arborum; res in malis itidem succedit: Et malorum ramulos salix quoque adoptat, pirus mespilorum, mespilus contra pirorum; prunus amygdalorum, malorum armenicarum, quin persicarum furculos vegetant. Insuper alnus pirorum frondes sibi inseri patitur, fructus tamen interne rubicundi sequuntur: Addendum quod mutatis ita insitionibus fructus multo majores & sapidiores reddantur: Siquidem succum sibi magis congruum atque uberiores ex radice robustiore acquirant. Nequaquam tamen adductæ circumstantiæ transmutationem factam esse demonstrabunt.

§. XIX.

Denique Tuliparum Caryophyllorumque flores quotannis propemodum ratione coloris mutari observamus; at eum color solus speciem non statim variet, sed eo in casu totius plantæ & floris conformatio simul attendatur, nunquam ex intransmutatio evincetur.

§. XIX.

Plura exempla mutationis vegetabilium in vegetabilia citari possent, ob nimiam tamen prolixitatem, evitandam ad animalia, quæ ex vegetabilibus pronasci creduntur, progredimur. Exhibet autem & delineat

no-

nobis *Gædartius* præter alias multas curiosasque observationes *Metamorph. natural. Part. I. experiment. 6.* vermiculum ex corrupta quadam radice *Sisari* natum ac porro interjecto temporis tractu in bestiolam nigram transmutatum. Idem *observ. 45.* in salicum foliis erucas invenit ordine quodam, tanquam in acie dispositas erectis quidem corporibus, quæ spatio decem & octo dierum itidem in aliud animalculum transmutatæ juxta podicem gluten aliquod haberent, quo admodum tenaciter corporibus quibusvis adhærescerent. Etiam si verò *Franciscus Redi* uti videre est *de Generatione insectorum p. 292. seq.* in salicibus non solum, sed in vitice etiam erucas observavit, transmutationem tamen porro factam spe vana expectavit. Cæterum in cynosbati spongiis hospitari vermiculos notum satis est. Quin & in Gallis includuntur ovula, vermes, & muscæ. Videantur *Malpighius de gallis, & Rbedi l. a.* Pira etiam ac mala formosissima, interdum cum, interdum sine externa læsione, erucas alunt.

§. XX.

Insignem quidem transmutationis speciem adducta exempla præ se ferunt; atque sine dubio in radicibus, foliis, protuberantiis, in ipsismet fructibus, licet satis integris & interdum nudo intuitu plane illæsis, absconduntur inde tandem prorepentia animalcula. Ipse *Franc. Rbedi* destruens alias rejiciensque generationem æquivocam, hæsitat quando de vermibus in salicum foliis, in avellanis & gallis nidulantibus *pag. 265. seqq.* eruditissime differit, propensior tamen eam in sententiam, vermes tales foris venire, non vero intra ipsos fructus prognasce. Sic itaque, ut opinor, existimandum erit: Proles, qualis illa radicis *Sisari*, alibi etiam, quin

nostris in ædibus quam sæpissime conspicitur, lignaque erodit ac permeat, ibi facile in radicibus sisari ovula sua recondens. Salicum verò memorata soboles tempestate serena & fervidiore, magna in copia in arboribus istis conspicitur, earundem exedens folia; hac occasione foveolam ovulis suis congruam effodit, quæ, ubi hæc imposita fuerint, à succo luxuriante circumdatur: iste in tuberculum assurgens ovula fovet, exclusioni inservit, eademque absolutâ nutrimentum partui commodum præbet. Tandem perforatione tuberculorum facta exitum sibi parant vermes, inque aëre liberiori sive in ampliori spatio suam porrò acquirunt perfectionem. Gallæ contra, avellanæ, pira, poma, duriore cortice munita à muscis aliisque insectis terebrantur, (postica enim corporis parte instruuntur velut terebra) quo peracto inferuntur ovula, foraminulis dein modo cum callo, modo sine eodem coalescentibus: Confirmamur observationibus *Malpighii*, qui pag. 23. in gallarum apice & circa basin insignem ovulorum copiam invenit, amicisque spectandam præbuit, idque ipsum prorsus phænomenon in avellanis maxima cum admiratione contemplatus est. Quoad erucarum genus ex piris collectum, & in papilionem transmutatum, cujus quoque mentionem facit *Gædartius loc. cit. observ. 46.* demonstrat *Lister in notis ad eundem Gædartium*; papilionem potius, quàm fructum ejus matrem esse: In quo hoc libentius illi adstipulor, quod ipsi mihi tales sub finem Mensis Maji & initium Junii in hisce arboribus earumque corticibus plus vice simplici intueri contigerit.

§. XXI.

Helmontius Tr. Imago fermenti impregnat massam semine §. 9. docet; quodsi indusium sordidum intra os
 va-

vasis, in quo sit triticum, comprimatur: Intra paucos dies (puta 21.) fermentum indusio haustum, & odore granorum mutatum, ipsum triticum, sua pelle incrustatum, in mures transmutet. Experimentum facilioris explorationis non tentavimus, attentionem tamen operaturo svademus, ne mures aliunde ad triticum allectos, mox ibi nidulantes, utpote in commodo cubili simul atque penu, transmutatos credat. Alii mures in navibus generari testantur, addentes, qua ratione eo pervenirent, nisi facta transmutatione, se assequi non posse; qui tamen non dicam natando, sed cum stramine, frumento, vel supellectile in navigium perveniunt. Memoratu non indigna erunt, quæ à Kircherò *Mundi subterranean. Tom. II. Lib. XII. Sect. I. cap. 9. pag. 346.* his verbis afferuntur: Mures ex limo nasci Ægyptus docet; Nilo siquidem recedente muscoli reperiuntur inchoato jam opere genitalis aquæ terræque, jam parte corporis viventes, novissima effigie etiamnum terrena, quam prodigiosam genesin graphice sane describit. *Ovidius:*

*Inveniunt & in his quadam modo cœpta per ipsum
Nascendi spatium, quadam imperfecta suisque
Trunca vident humeris, & eodem tempore sæpe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.*

Idem autor dicto loco *pag. 351. seq.* multis adductis circumstantiis testatur, sese vidisse animalcula ἐξάποδα partim viva, partim adhuc lignea, eademque aliis monstrasse in ramulis nempe Liburni, quam vitem albam vocant, aliaque in Hippari putrefacta.

§. XXII.

Ast satis modeste *Fr. Rbedi l. a. pag. 210. seqq.* errorem ejus castigare per sedulas suas observationesprehenditur, quo curiosos amandamus. Quid si muscoli

in limosa terra involuti tanquam reviviscentes profiliant, animalcula item memorata ex ovulis in Liburni ramulis & in Hippari à matribus positis procreentur? *Gesner.* narrat in Insulis Hebridibus nasci aves è lignorum putrefacta substantia: Nempè si talia ligna in mare decidant, vermes inde provenire successive in anatis speciem accrescentes, tandemque iusta magnitudine accepta, alarum remigio, uti avium mos est, avolantes. Sed fabula dudum explosa est, siquidem aves istæ alitibus consveta generatione procreentur. Videatur interim *Zeilerus Itinerarii Britannia, cap. VII. pag. 252. & 257. seqq.* Præsertim autem de anatibus arboreis evolvatur *Andreas Libavius de universitate & originibus rerum conditarum Lib. VI. pag. 511. & 527. seqq.* aliique autores ab ipso citati.

§. XXIII.

Demum è putrefactis Vegetabilibus quibusvis vermes generari, eaque isthoc modo in corpora sensitiva mutari, uno ore hætenus multi confirmaverunt; ad oculum enim in putrefactis plantis vermiculos varios & innumeros ferme demonstrant. Nos eorum quidem præsentiam non detrectamus, scrupulus tamen non vanus restat, annon ab extra ovula muscarum atque culicum, &c. in nidum hunc moderate calidum apportentur, aut in asperitatibus foliorum appensa ante putrefactionem fuerint: idque hoc magis, quod contra eorum animalculorum ingressum satis munita vasa, ejusmodi progeniem hætenus vel plane non, vel non in tanta quantitate ac diversitate pepererint. Quod si verò pervii accessus relinquuntur, sapida admodum ac congrua esca, vermiculorum matres allicit, quæ inibi aliquandiu hærentes, vel casu, vel instinctu aliquo naturali, ovula recondunt, ex quibus iste partus ad ultimum excluditur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Succedit quomodo ex vegetabili in minerale regnum transmutatio à quibusdam probetur; neque varia defunt specimina, quorum tamen major numerus sub petrificationis titulo comprehenditur, sive ex terra effodiantur petrificata; Videantur *Acta Philosoph. Anglican. 1665. Mens. Novembris observ. s. p. m. 171. seq.* sive Aquis lapidificis, ut sic loquar, debeantur. Hæc si ad trutinam vocaverimus, alia corticem tantum lapideum, alia per totam substantiam saxeam quid præ se ferunt.

§. XXV.

Cortice obductis diu immorari animus non est: Nam præter ea, quæ *A. Kircherus Mundi subterr. Tom. II. lib. 8. Sect. II. p. 47.* delineat, illud certum, quod omnium in manibus herbæ, frutices, ligna, eorumque furculi ac ramuli, vel Thermarum, vel aquarum aliarum salinis, vitriolicis, aluminosis, nitrosis, &c. particulis imprægnatarum sabulo incorticati terantur, multisque admirationi sint: Potius illa vegetabilia, quæ per totam substantiam saxeam quid exhibent, adducemus: Refert *Julius Cesar Baricellus Hortuli Genialis pag. 90.* In Danico mari juxta Lubecensem urbem, Alberti Magni ætate, arboris ramum inventum esse, cum nido & pullis petrificatum. Sic *E. Francisci in den Indischen und Sinesischen Lust-Garten / pag. 581.* radicem bifidam ex Insula Tercera allatam, altera parte petrificatam, altera vero adhuc pure lignosam testatur, addita dilucidatione, ibidem variis in locis plures naturæ calidioris reperiri fontes, quorum unus polleret vi petrificandi, quamobrem partes radicum ad fontem excurrentes lapidescere, cæteras vero in adversam plagam protensas lignosam retinere habitudinem. Nostra in vicinia Dubenæ, ad montis

tis

tis cujusdam radices propullulat aqua vitriolo maximè
scatens, in hanc, si ligni frustula injecta fuerint, petri-
ficata ferme extrahuntur; Ligni quercini partem obti-
nuit amicus, qui vitriolum & crocum Martis exin elixi-
vium & præcipitatum mihi ad oculum demonstravit.
Exemplum de bifurcato ligno aceris, lapidem durum,
nigro-purpureum, inæqualem, suis amplexibus ita te-
nente, ut ex iis sine fractura expediri nequeat, addu-
ctum in *Museo Wormiano, cap. XIX. pag. 174.* jucundum
quidem est, ad petrificata verò neutiquam pertinet.

§. XXVI.

Quantum igitur ad recensita exempla, uti incru-
statio lapidea tanti non est, ut transmutationi vel mini-
mum patrocinium afferret; ita coagulum aquæ lapide-
scentis in poris lignorum penetralibusque vegetabilium
factum speciosius quidem adparet, vera essentialisque
transmutatio neutiquam dicetur. Lignum certè omnia-
que vegetabilia maximè porosa esse nemo inficiabitur;
aqua ergò poros subintrans particulas lapideas secum ad-
fert, quæ in cellulis pororum discretæ paulatim consoli-
dantur. Dari autem in hujusmodi aquis particulas lapi-
deas copiosiores partim in metallifodinis communiter,
partim in speluncis & cryptis subterraneis variis, v. gr. in
Baumanniana Herciniæ, de qua videatur *Eckstormius hi-
storia Terræmotuum, pag. 210. seqq.* observatur; Etenim
in his guttulæ deciduæ tandem siccatae lapideam substan-
tiam manifeste produnt. Accedit in operationibus Chy-
micis observari; aquas primo intuitu benè limpidas, va-
riis tamen impleri particulis: v. gr. ex lixivio croci me-
tallorum per filtrationem transcolato præcipitatur sul-
phur auratum antimonii per acetum destillatum; iterum
filtrato & per spiritum salis Armoniaci præcipitato alius
adhuc

adhuc pulvis rubicundus præcipitatur; quin si tertia plu-
ribusque vicibus filtratio fiat, aqua tamen simpliciter pu-
ra non acquiritur.

§. XXVII.

Inquis; transmutatum fuisse lignum, hinc colligi,
quod omnes ipsius fibræ, nodi, vorticesque adhuc spe-
ctentur, lignosa interim materia prorsus in lapidem mu-
tata. Sed respondemus invertendo: quia vestigia ligni
tàm exacta remanent, necessum est, non fuisse trans-
formatum lignum, sed particulas salino-terreas permeas-
se poros, iisdemque occupatis acrimonia sua corrosisse,
paulatim partes ligni plantarumque, imitantes ita rece-
ptaculi in quo concreverant lineamenta, perinde uti
cum muscis, culicibus aliisque animalculis in succino fi-
gurato solet contingere. Videatur *Boyle hist. fluid. & firm.*
sect. II. Comprobant sententiam ipsæ observationes thesi
XXIV. & XXV. adductæ. Nam juxta *Acta Philosopb. Angli-
cana anni 1665. Mens. Novembr. obs. 5.* in arenosa quadam
Angliæ terra lignum intrantibus per poros solis effluviis
interraneis lapidescit: en ergò nudam insinuationem!
Ligni etiam quercini Dubenensis stamina ramentaque
lignea in filtro remanserunt. Denum scrupulum omnem
tollunt liquores petrificantes arte parati. Unicum ejus-
modi ex *Zodiaco Medico-Gallico anno 1680. Mens. Sept. obs. 2.*
pag. 188. adferam: accipe salis gemmei, aluminis rupei
pulverifatorum, pulveris silicum non ustorum, calcis ex-
stinctæ, aceti albi ana partes æquales, commisceantur cun-
cta; ubi fermentatio inceperit, adde corpus cui lapidis
formam inducere animus est, sive sint ossa humana, sive
lignum admodum aridum & porosum, sive os sepiæ, aut
quidpiam simile: A materiis prædictis mediante fermenta-
tione penetrabuntur. Hæc simul in unum corpus coa-

C

litu-

litura sunt, adeò ut duritiem & soliditatem lapideam, intra quatrimum, aut ad summum sex dierum spatium, sibi comparatura sint. Alios tales liquores sive naturæ, sive artis, vide apud *Anselmum Beëtiū historie Gemmarum, & lapidum Lib. II. cap. 300. pag. 264. Sachsium de mirand. lapidum natura pag. 70. & Gamarologia pag. 171.* De aqua cretosa verò & gypsea, imò crySTALLINA *Wormium in Museo cap. 6. pag. 52.*

§. XXIIIX.

Itaque regno vegetabili examinato ulterius deducimur ad regnum animale. Transmutatio proin ad animalia pertinens vel cum partes tum producta illorum concernit; vel quomodo ad aliam speciem animalia velut transferat, observatur. De singulis ordine; & quidem quantum ad producta & partes animalium pro fulcienda transmutatione communiter afferuntur 1.) Vermes caseorum vid. *Gædartius Metamorph. Part. V. num. 73.* 2.) ex corrupto cerebro Gallinaginis aquaticæ *id. ib. n. 55.* 3.) putrefactæ carnis avicularum *num. 53.* 4.) passeruli siccati *num. 5.* 5.) Excrementorum humanorum *num. 4.* 6.) Urinæ humanæ *num. 51.* Non dicam de pediculis ex sudore natis. Ast contentiones plane removebuntur, si observemus animalcula pleraque ex vermiculis hisce transformata muscas fuisse aliàs satis notas, sed quæ frequentissime putrefactis asident. Unde cum *Franc. Rbedi* facimus, qui *de insectis pag. 26. seqq.* variis experimentis partem adversam convincit, quod per putrefactionem nulla animalcula generentur, nisi seminia ab extrâ parentibus accedant.

§. XXIX.

Equidem semper, maximè æstatis tempore, non sine successu animalium carnes quævis putrefactioni commi-

mit-

mittuntur, adeò ut intra nyctemeron & quod excurrit vermes in illis repentes, easque depascentes, vel ad minimum ovula intueamur: Verum in magnam nos suspicionem conjicit, eandem plane ac ejusdem speciei carnem plures & specie prorsus diversas muscas atque culices, &c. producere; cum tamen diversorum specie animalium carnes ulteriorem aliquam talismodi insectorum variationem nullam efficiant. Laudatus toties *Rbedi* sex distinctis cistulis indidit, 1.) serpentes, 2.) pullum majorem columbinum, 3.) carnem vitulinam, 4.) carnem equinam, 5.) capum, 6.) cor vervecis; nihilominus in unoquoque dictorum corporum easdem species vermium, uti in cæteris etiam, invenit. Insuper circa foramina cistularum, ovula ex quibus insecta hæc producuntur vidit; suntve ipsa illa stercorea venatoribus satis nota & molesta, utpote quibus ferarum æstivo tempore captarum carnes adeo conspurcantur. Quid, à carnibus domi asservatis ut semina hæc nostræ mulierculæ arceant, in muscaria receptacula easdem recondunt. Amore ergò naturali matres muscæ commotæ, partus suos commodissimis istis, & ad enutritionem aptis loculis haut dubie infarciunt.

§. XXX.

Quocirca omnibus hujus furfuris objectionibus vim subtracturi duce *Cl. Rbedi l. a. pag. 47.* & multis sequentibus svademus, ut certis lagenis carnes putrefaciendæ diversorum animalium committantur, nonnullarum orificia occludantur, aliarum verò aperta relinquantur. Quibus ita peractis justo tempore in apertis, ubi aditus conceditur insectis, vermes; in occlusis quidem successive fracida, mucosa, & putrida materia; sed vermes non nisi circa orificia lagenarum invenientur omni conatu id

agentes, ut inventa aliqua rima in lagenas penetrare, seque efca pergrata exfatiare queant.

§. XXXI.

Aërem si objicias, perhibens hunc vivificare putrefacta; vas quodpiam efficere curato serico subtili seu Neapolitano obductum, atque hoc in scrinio pariter velo ejusmodi obfirmato conde. Vasi inclusæ committantur carnes variæ pro lubitu, ut ita aëri facillimus, muscis aliisque infectis nullus concedatur transitus; observabis ne unicum quidem vermiculum in carnibus pronasci, quod ipsum cum piscium carnibus perinde evenerit. Attende tamen cum *experient. Rbedi p. 57. seqq.* atque plures vermes externe in superiori veli & arculæ facie circumvagari offendes, qui odore carniū illecti, quandoque per subtilissima foramina expansi serici vel in arculam penetrant, & si segnior in submovendis illis fueris, forte in vas ipsum irruere idque expugnare valent, quod sibi contigisse idem annotat *pag. 58.* Ait scilicet, duos vermes, posteaquam primum velum feliciter transmiserant, & jam secundo, quo orificium vasis occludebatur, inhærebant, tanto nisu rem egisse, ut jam dimidia parte corporis, velum illud secundum pertransierint, & parum abfuerit, quin ad carnes ipsas pertigissent. Cæterum intrinsecus seu in ipsa massa putrefacta vermibus nullum planè vestigium deprehendi, aut demonstrari poterit.

§. XXXII.

Non minorem indagationem merentur animalcula, quæ vivorum in corporibus hospitantur. Mittamus bruta, dum animalium nobilissimorum, homo, loco exempli sufficit. Miranda autorum observationes atque experientia nobis suppeditant; Namque vermes deprehensi in cerebro. Vid. *T. Bartbol. Anatom. Cent. I. Instit. 64.*

in

in aure, *Kerckring. Spicilegii anatom. obs. 19.* Oculis, *Schenck. obs. rarior. Lib. I. pag. 165.* Naso, *Petr. Borellus obs. Cent. III. obs. 45. Tulp. obs. Lib. IV. cap. 11. Kerckr. ibid. obs. 43.* in aspera arteria & pulmonibus. *Schenck. Lib. II. pag. 229.* Corde, *Zacut. Lusitanus Praxeos admiranda Lib. II. cap. 19. Theophil. Bonetus in Sepulchret. Lib. II. Sect. X. obs. 7.* Hepate, *Schenck. obs. rarior. Lib. III. pag. 412.* Ventriculo, *Bartbol. Cent. IV. obs. 77.* Intestinis, *Schenck. obs. rarior. Lib. III. pag. 372. seqq.* Renibus, *Kerckr. l. a. obs. 59.* Vesica, *Schenck. Lib. III. pag. 503. Bartb. Cent. IV. obs. 72. Tulp. Lib. II. obs. 49.* Utero, *Schenck. observ. rarior. Lib. IV. pag. 649.* Umbilico, *Borell. Cent. I. obs. 40.* Ingvinibus, *Tulp. Lib. III. cap. 12. &c.* Hos in istis organis nescio ex qua materia putrida generatos profiteri velle, mihi præter rem videtur, cum evidentissime innotuerit, eorum seminia mediante aëre in asperam arteriam & pulmones impelli, mediantibus aqua verò, item potulentis & esculentis in stomachum dejici.

§. XXXIII.

Certè vehicula nominata scatere vermibus *ἀνοσία* docet; nam aquis vermiculos innatare, herbarum & olerum foliis, fructibus, &c. seminia adhærescere clarissime his curiosis temporibus cognitum est. Exilitas animalculorum à masticatione ipsa liberat, densitas testarum porique maximè occlusi lymphæ ventriculi actionem & vim eludunt, etiamsi diutius macerentur; quin imò vice plus simplici inhabilis lymphæ aggredi & perfundare animalcula non valet, in quo nos confirmat *Kerckringius Spicileg. anatom. obs. VI.* referens, puerum diu malè adfectum leni cathartico adhibito ejecisse decem uvas adhuc pelliculis suis vestitas, & succo plenas, quas ante menses tres devoraverat. Quid si ergò ovula vermesque ipsi ex tubo intestinorum, per vasa lactea ad

receptaculum lumbare, ductum thoracicum, venam subclaviam sinistram, & tandem ad cor aliasque partes penetrent, ac cum sanguine propellantur?

§. XXXIV.

Istud quidem absurdum haud videbitur; angustissima enim vasa lactea permeasse corpora satis solida effectus varii comprobant, meminique *Excellent. Dn. D. Job. Bobnium*, Præceptorem meum ætatem observandum, non vulgare exemplum adduxisse, propria experientia ipsi compertum: Nempe puella X. annorum, posteaquam copiam ficuum aridarum comederat, earum granula cum Urina satis copiose postmodum mingebat. *Langius epistol. Medic. 40. Lib. 2.* perhibet, virginem acus quinque improvide deglutitas biduo post illasam cum Urina reddidisse. Quin clavum minorem devoratum per urinaria vasa aliquando prodiisse, *Petr. Servius in Tractat. von der Wassen-Salbe* auctor est: Atque *Tulp. Lib. II. obs. 50.* delineat vermiculos, quales putri caseo innascuntur, similiter emictos. Planè conveniunt quæ sequuntur: Nempè juxta *Miscell. Nat. Curios. Ann. II. obs. III. pag. 4.* osficulum cum lotio prodiit; osficulum pruni Damasceni cum magna urinæ copia protrusum *ibid. pag. 5.* granum plumbi cum carne avicularum devoratum postmodum cum urina excretum *ibid. obs. 168. pag. 266.* Item huc & istud pertinet, cerasi osficulum cortice lapideo & tuberculoso obductum ex genæ dextræ tumore inflammato erupisse. *ib. in annotat. ad obs. 3. pag. 392.*

§. XXXV.

Nimirum ovula dicto superius modo abs homine hausta, calore corporis viventis moderato ac blando ad excubationem usque fomentantur, chylosis, aliisque particulis congruis enutriuntur, cum tempore majorem

in molem accrescunt, ac arrosione atque laceratione fibrillarum habitacula, quantum commode fieri potest, sibi met ipsis exstruunt, donec quacunque ratione, obstetricante vel natura, vel arte excernantur. Superfluum hoc loco esset describere symptomata atque morbos ex vermium istiusmodi praesentia in homine exortos, quorum tantum non innumeri penes auctores reperiuntur. Sufficiat tradidisse ex *Bartolino* epilepsiam *Cent. IV. bist. 20.* febres malignas *Cent. VI. bist. 29.* Quin *Tulp. loc. cit.* virum vermium mictu à febre tertiana liberatum adducit.

§. XXXVI.

Haecenus de productis atque partibus animalium, quae transmutari existimantur: Sequitur, ut exempla ponderemus animalium ipsorum in alias species, ut non prius solū visum est, sed vulgò adhuc existimatur, transformatorum. Quātum verò ad istas mutationes, quoad multa exempla quae objici solent ferias nobis in antecessum fecimus. Scilicet vermes in muscas, culices, aliaque insecta; erucas in papiliones transmutari ajunt: Sed viri Lynceis, maximè ubi armati erant, oculis; Malpighius, Svammerdam, Levvenhœck, &c. non modo in ovulis, de quibus tot haecenus verba fecimus; sed quoque in erucis, nymphis chrysalidibus atque aureliis, partium, quae successive extricantur, evolvunturque ac justam cum proportionem, tum figuram tandem sortiuntur, rudimenta atque stamina curiosissime notarunt. Liceat à similibus illustrationem petere; quis ranas, quis formicas, rerum ignarus, crediderit, non ita pridem egressos ex ovulo seminali foetus? imò quis embryonem hominis non ita diu post conceptionem, in quo caput & abdomen adeò tumidum magnumque in relatione ad artus, & in quo situs valdè contortus apparet, primò intuitu humanum corpus agnoverit?

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Hominum, qui sexum vel mutarunt, vel utrumque præ se tulerunt, exempla vix tanti sunt, ut nos morari possent. Videatur de his *Schenck. obs. Lib. IV. pag. 521. Bartbol. Cent. II. bistor. 57.* præsertim *Kercker. loc. cit. obs. 12.* Neminem sanè novi, qui inficias eat, organa hæctenus interclusa accedente cum annis vel robore, vel motu, tandem prorupisse.

§. XXXIIX.

Majorem difficultatem excitare videntur, quotquot *λυκανθρωπίαν, κυνανθρωπίαν, &c.* propugnare instituant, de quibus *Schottus* legatur *Physicæ curiosæ Lib. IV. cap. 10.* potissimum in peculiari *de Lycantr.* tractatu *M. Jo. ban. Frider. Wolfesbusius*; Sed videntur: Quemadmodum enim lycomania morbus nihil ad rhombum facit, sic lycanthropia Dæmoniaca non nisi glaucoma existimari debet; foret quippe mutatio hominis in verum lupum & vicissim, creationis mediatae specimen, qualia Damon suis viribus neutiquam valet edere.

§. XXXIX.

Sed ad vegetabilia ex animalibus prognata. Heic primus occurrit *Petr. Borell. observat. Cent. I. obs. 10.* serio ac confidenter affirmans, in Hispania ætate sua pastorem degisse, qui rubum floribus coronatum in abdomine suo progerminantem ostendisset. Adstipulatur *Cass. à Reies Francus in Elys. jucundar. quest. campo, qu. 36. §. 9. pag. 428.* dicens ad Joh. Eusebium Nierembergium publicum instrumentum ac testimonium ex Molina Arragonis missum, quod pastori cuidam axiacantha sive spina alba prope ventriculum enata sit, quæ singulis annis cæterarum arborum more, suo tempore germinavit. Insuper *Bartbol. Cent. II. bist. 20.* herbæ iconem ex corpore Hispani cujusdam enatæ in *Cassiani à Puteo Equitis Rom. Musæo* contemplatus est.

§. XL.

§. XL.

Ut ut, cum circumstantias coram examinare haut potuerim, decernere quoad hæc sententiã quæ demonstrationem complecteretur non ausim: dubio tamen procul vel devoratum semen in causa fuit, quod ipse *Reies ib. p. 429.* fieri potuisse adfirmat; vel cum *Borello ib.* pronuntiandum, pastorem istum incidisse in spinas ejusmodi, quarum frustulum, per biennium ibidem implantatum, sic radices egerit, ut resectis surculis variis alii tandem progerminarent, in quibus flores & fructus visi; Bartholinus verò de modo vegetationis nihil addit. Quid si etiam Hispanus iste impostor fuisset?

§. XLI.

Corpus humanum autem ad nutrienda vegetabilia æque ac pingvior terra commodum esse, nemo, cæteris paribus, inficiabitur. Exemplo dubitantibus puerulus ille apud *Marcell. Donat. bist. memorab. Lib. II. c. 2.* esto, qui cerasi nucleum in aurem petulanter intrusit, ita ut nullis remediis extrahi potuerit, sed temporis progressu cœperit germinare. Parile adultiori cuidam contigit; in hujus aurem cum casu semen Anagyridis illapsum esset, intimiusque recondi illud ipse sentiret, semen fructificatum tandem summis cum cruciatibus mediante germine evulsum est. Similem rationem de Usnea seu musco ex calvaria humana nato reddemus: accurata ejus delineatio videatur in *Miscell. Nat. Curios. Anatom. II. obs. 53. p. 98.* Quid quod exemplum Hederæ in cornu cervino excrecentis rem illustret; legatur *Job. Bapt. Portæ Magia nat. Lib. III. c. 1. p. 101.* Uti enim meo judicio in illo semen hederæ, ita in calvaria, musci casu refedit radicesque egit.

§. XLII.

Transmutationis ex regno animali in minerale potissima exempla suppeditabit antea in vegetabilium la-

D

pide-

pidescientium demonstrationē adducta petrificatio, ad quam heic meritò provocamus. Cæterum ex historia Bavarica pastorem cum grege à vento in petram conversum, item in Seelandia ad littus stagni Tie, seriem adstantium saxorum, quam pompam esse nuptialem divina vindicta in petram conversam incolæ credant *Tb. Bartbol. de Morb. bibl. c. 3. p. 6.* nobis quidem communicat, incertus tamen ipse est, priori relationi fides an sit habenda; alteram rejicit demonstrans per urnas ibidem effossas, lapides istos sepulchri cujusdam honestioris Danorum esse signum. Quin alias in cimeliarchiis curiosorum specimina, quod homines & bruta eorumque partes in lapides dirigerint exhibentur. Corpus humanum totum in saxum conversum Romæ in horti Ludovisiani Palatio spectari narrat *Kirch. Mund. subterr. Tom. II. Lib. 8. Sect. II. cap. 2. p. 49. seq.* cerebrum verò bovinum ac renes humanos petrefactos *Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. 1. obs. 26. & 27.* commemorant. Insuper *Tenzel. in ep. de Scelet. Elephant. effosso*, petrificati cujusdam insigne quidem exemplum profert, simul tamen evincit, non in lapidem conversa fuisse ossa, sed tantum in poris illorum, margæ vel osteocollæ particulas concrevisse; namque ignis ope phlegma, sal volatile, oleum foetidum, & spodium ipsum manifeste impetravit, quæ producta lapides nulla enchyrisi chymica adhibita reddunt. XLIII.

Infantem verò in utero materno petrificatum, postquam 28. annis gravida fuisset mater, an. 1582. mortuâ ipsâ exsectum esse, non solum ex *Tbuani Lib. XVII.* aliisque autoribus commemorat *T. Bartbol. Cent. II. hist. 100.* sed profitetur, illum à se visum ac contrectatum. Ast nemo tamen inde transmutationem evicerit, sciens serum stagnans successive in gypseum coagulum abire, atque corporis nostri fibrosis partibus frequenter accidere, ut primo

mo

mo cartilagineæ, tandem tractu temporis & ulteriori condensatione accedente osseæ evadant. Conferatur idem *Bartholinus Cent. I. obs. 12.* ubi foetus in utero exsiccati historiam adfert.

§. XLIV.

Lapides quoque diversis in animalium partibus generari dubio caret. Nephritici de se summo cum pavore, vel ex sola cruciatuum recordatione orto, narrant: Quin variæ observationes, quæ hinc inde consignatæ offenduntur, rem declarant. In cerebri ventriculo repertum lapidem albicantem delineat *Kercker. Spic. Anat. obs. XXXV.* In glandula pineali à Sylvio demonstratum commemorat *Borrigh. Actor. Haffn. Vol. V. obs. 81.* in apostemate maxillæ superioris aliquem deprehendit. *T. Barthol. Cent. V. hist. 91.* sub lingua in basi maxillæ inferioris *Borell. Cent. II. obs. 17.* in naribus *T. Barthol. Cent. I. hist. 33.* quosdam asperam arteriam ab extra comprimentes observavit *Kercker. Spicil. Anat. obs. 27.* E pulmonibus cum tussi rejectos *Borell. Cent. I. obs. 67.* *Zacut. Lusit. Prax. admirand. L. I. obs. 95.* in tumore humeri lapides invenit *Borell. Cent. I. obs. 87.* in corde *Kercker. l. a. obs. 78.* in arteriæ aortæ ramo *Tulp. L. II. c. 25.* in vena thoracica *idem L. IV. cap. 21.* in cystide fellea *X. Borell. Cent. III. obs. 22.* in renibus *Tulp. Lib. II. c. 44.* in vesica admodum ingentes *Borell. Cent. II. obs. 22.* ibidem adnatum *Tulp. Lib. III. cap. 5.* qui ipsi auctores lubenter concedunt, tantum non in omnibus partibus corporis nostri lapides procreari.

XLV.

At enimverò quidquid istarum observationum sit, neque ipsi laudati auctores, nec ego in transmutationem aliquam consentimus. Argumento autem nobis sit primo tartarus dentalis, qui nihil aliud est, quam serum primo fatis fluidum, successive tamen in lapidis consistentiam inspissatum. Deinde quod lapilli in urina recenter emicta

nunquam, (nisi ex renibus aut vesica ibidem conereti cum lotio simul ejiciantur,) postmodum verò mora interjecta manifeste fundo & lateribus matularum adhærentes conspiciantur, qui ipsi paucis horis ita indurescunt, ut non nisi summa vi iterum attenuari possint. Ejusmodi non exiguæ molis hoc modo congelatorum descriptiones in *Miscell. Nat. Curios. Ann. IV. obs. 126. p. 136.* evolvantur. Perinde igitur in cæteris corporis partibus humores, particulis heterogeneis commixti, viscidi, extravasati, fibris infarcti, tubulosque obstruentes tractu temporis velut congelascere, segregari, condensari, moleque augeri poterunt. Cui rei fidem facit, quod in morbis chronicis, diureticis potentioribus & alimentis crassioris succi adhibitis calculus renum plerumque quasi succenturiatus sequatur.

XLVI.

Ex animali regno tandem ad famosissimas mineralis transmutationes progrediens, arborem Dianæ à Philosophis ita nominatam primum offendo, de cujus extructione videatur *Nicol. Lennery in cursu Chymico P. I. cap. 2. p. 106.* Equidem surculi vegetabilis figuram condensatum illud amalgama in fluido congruo aliquo repræsentat; nullius tamen firmitatis est materiaque ipsa præter solutionem & successivam præcipitationem, enascentemque inde mixtionem, nullam aliam patitur mutationem, multò minùs in vegetabile factam transmutationem. Ut paucis me expediam; simile nemo hoc in casu idem pronuntiabit.

XLVII.

Quod animalia è mineralibus aut cognatis producta, post omnipotentissimi J E H O V Æ creationem, *Genes. I. v. 24. seqq.* memoratam, nulla unquam exempla produci poterunt. Novimus quidem *Aldrovandum de Insectis Lib. VI. cap. 8.* affirmare, in medio lapidum ex quibus calx uritur nasci vermes dorso piloso, multisque pedibus, qui

qui exstructis, ut calx uratur fornacibus multum damni inferre soleant; Sed primò ipse celeberrimus iste post facta etiam auctor in clausula dicti capituli ambigue loquitur; deinde notum satis millepedes ejusmodi magna in copia in cellis nostris hospitari, sub tegulisque commorari, forsitan etiam particulis earum quadantenus enutrir; (uti vermium genus, quod rodendo maxima foramina in muro excitavit, quale *Acta Philof. Angl. 1666. oct. relation. V. p. 318. seqq.* referunt:) Ast ex lapideis particulis transmutatos defendere res ardua erit. Sic forte Gryllo-Talpas ex gleba terrea generatos aliquis annuet, nisi ex *Gædartio Metamorph. P. I. bist. 76.* ipsiusque variis experimentis ediderit, quod parentes, glebas terræ firmas ac tenaces eligant, his effosis centum & plura ovulorum suorum immittant, atque foramen pro transitu inserviens adeò exacte occludant, ut ne quidem rudimentum ejus attendere concedatur. Plura exempla ad dilucidationem necessaria præterimus, ne prolixitas nauseam legenti excitet.

§. XLIIIX.

Transmutationem ex mineralibus in mineralia, & quidem imperfectiorum metallorum in perfecta, primò ut notum, historiæ satis comprobant. Non aureum istum syllogismum Cornelio Martini Univers. Helmstadiensis Profess. publ. in solenni disputatione, qua contra lapidem Philosophorum insurgebat, à nobili quodam viro publicè objectum ex *Zwelfferi Mantisfa spagyrica P. I. c. 1. p. 329. seq.* proferam; sed ex eodem autore ibidem Sacratissimam suam Cæsaream Majestatem Ferdinandum III. testem ocularem sistam; Nam ipsius Majestas Mercurium vivum, immittendo unum granum certæ tincturæ, manu Cæsarea in aurum transmutavit. De invictissimo Leopoldo *Becherus in Physic. subterr. suppl. II. præfationis n. III.* sequen-

tia commemorat: Possidet Sacratissima sua Majestas non-
nihil de isto pulvere, seu vera Tinctura Philosophorum,
hujus etiam & quotiescunque voluit, memorabilem vidit
effectum, veramque transmutationem metallorum in
aurum. *Helm.* quoque *Tract. demonstr. tb. §. 58. p. m. 409.*
testatur, sese propriis oculis vidisse, manibusque confe-
cisse ejusmodi transmutationem. Varia insuper huc per-
tinentia in *Miscell. Nat. Curios. Ann. I. obs. 17. pag. 65.* literis
consignata sunt. Conferatur omninò *Job. Lud. Hanem.*
in Ovo Hermetico-Paracelsico-Trismegisto, in quo in epistola
Mezabab dicta §. 25. pag. 188. XXXIIX. historias hinc inde
collectas profert; ut de *Borrichii, Morbosii, Becheri,* alio-
rumque peculiaribus eruditis opusculis ad transmetalla-
tionem pertinentibus nihil adjiciam.

§. XLIX.

Secundo fieri ejusmodi transmutationem posse ipsa
materia metallorum videtur persuadere, quæ nihil aliud
est, quam substantia purissima mercurialis in se occultans
sulphur purum incremabile & viscosum metallicum,
quod simul etiam sal metallicum includit; hæc mistura
sæpè sæpius metallifossoribus in ipsis cryptis subterraneis
modo sub forma nebularum vel fumi Germ. *Bergschwaden/*
modò in meatibus terræ magis condensata sub specie
lenti humoris Germ. *die Surre* occurrit. Ex hac massa in
puritate sua relicta nil, nisi aurum & argentum, fieri pot-
erit; accedens tamen impurum sulphur cremabile, arse-
nicale, & superflua humiditas mercurialis Germ. *die was-
serfichtige Feuchtigkeit des Mercurii,* impedit, quo minus
intentionem & exoptatum finem consequi queat natura.
Heterogenearum itaque ejusmodi materiarum admix-
tio, impuritatis adhæsiò, variaque principiorum vel in-
congrua, vel insufficiens accessio faciunt, ut digestio im-

pe-

pediatur, imperfectioraque metalla titulo Saturni, Jovis, Martis, Marcasitæ, &c. enascantur, ac sibi invicem admixta è mineris effodiantur. Quæ ipsa si arte satis purificentur, mundificenturque ac justè misceantur, accurate moderateque digerantur, ad summam tandem perfectionem artis adminiculo evehi posse rationi non planè absolum existimabitur.

§. L.

Gradu autem puritatis & decoctionis metalla imperfectiora, & à se, & à perfectis differre, modalitates variæ respectu formæ consideratæ, fixitas, homogeneousitas, & color, ulterius innuunt. His enim imperfectiora augeri posse nunc omnibus fermè innotuit; dum coctione vel per se, vel cum lixivio, cum oleo vitrioli & sulphure, &c. fixitatem majorem acquirunt; adeò ut gradum ignis sat vehementem sustinere valeant. Sic separatione particularum & digestionem mercurii vivi aurifabris, & metallicolis sub titulo dulcia reddere *versüssen* / satis familiari, suam levitatem & friabilitatem à dicta heterogeneitate ortam metalla amittunt, atque cum gravitate ac malleabilitate, ex quibus homogeneousitas judicatur, commutant; qua tandem impetrata reliqua accidentia, v. gr. decens fusio, sonus, pondus, &c. ultro succedunt. Colores demum alios iis per gradationes & cœmenta varia conciliari experientia loquitur: Nam Saturno calcinatione citrinus & mineus, Mercurio per digestionem solam rubeus color, &c. quam facillimè concitari poterit.

§. LI.

Quibus positis forsan etiam concessis, (nam ut omnem eam litem nostram faciamus, uti supra nostram experientiam, ita procul à proposito nostro foret,) negotium creditæ transmutationis equidem eleganter declaratum esse; nostram tamen thesin illæsam adhuc triumph-

pha-

phare opinamur. Certe, si res ita se habeat, materia successiva digestionem, &c. ultimam alias naturalem perfectionem variis enchiridibus adeptam, nullo modo pro transmutata jactitari poterit, nisi segregationem & combinationem particularum diversarum utcumque factam in classem transmutatorum essentialium locare animus sit. Quæ bina tamen fundamentum sunt totius transmutationis modalis, licet nonnunquam per transpositionem earundem, nonnunquam per secessum, nonnunquam etiam per adjectionem novarum particularum forma nova saltem ad sensum inducatur, adeoque prior mutetur. Ejusmodi quotidie non tantum in productis chymicis experimur, sed & in Mechanicorum variis officinis manifeste attendimus, v. gr. Transpositio particularum locum habet, quando terreæ particulæ & alcalicæ, interveniente igne, in vitream massam confluunt; vel quando plumbum aliaque metalla ac lapides aut eodem igne carbonum, aut speculo caustico majori adhibito, itidem in vitra rediguntur. Nonnullarum verò particularum secessum tunc requiri deprehenditur, quando ossa, papyrus, vegetabilia, aliaque in vitrum liquanda, prius incinerari debent. Adjectio denique novarum particularum occurrit, ubi Mercurius, Saturnus, &c. per tincturam Philosophorum mutantur in aurum.

§. LII.

Quid multis? operationibus quales adducuntur, mutatio modalis producitur, & quæ, quantum ad prima è quibus corpus constat principia, non nisi externa est. Essentialem verò internamque primæ cujuscunq; corporis materiæ transmutationem contingere constanter negamus. DEO T. O. M. qui à primordiis rerum certum ordinem unicuique indidit, gloriam, uti par est, decernentes sempiternam.

